

Werk

Titel: De Christo Jesu, Beneficiis Et Laudibus Eius, Aliquot Christianae reliquiae veter

Ort: Lipsiae

Jahr: 1652

Kollektion: DigiWunschbuch; VD17-Mainstream

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN690003765

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN690003765>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=690003765>

LOG Id: LOG_0008

LOG Titel: Ejusdem Rustici Helpidii ...

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

EJUSDEM RUSTICI HELPIDII
V. CL. ET IN-LUSTRIS EX-QVÆSTORIS
Historiarum Testamenti Veteris & Novi
Tristicha.

I. EVA A DIABOLO SEDUCTA.

E*Va vipereâ vetitum decerpere pomum
Invidus arte parat, tanta quæ nescia fraudis
Credidit infelix, socio peritura marito.*

II. ANGELI AD MARIAM ADVENTUS.

*Angelus illasum Mariæ per somnia Joseph
Connubium servare monet: hic dote repleta
Spiritus hoc quod sit flagrans, salvatur honore.*

III. ADAM ET EVA E PARADISO PULSI.

*Pellibus accincti, peccati signa ferentes,
Pœnarum famuli linguunt felicia regna,
Semper amica piis peccantes respuit aula.*

IV. LATRO IN PARADISUM INTRODUCTUS.

*Sacrati nemoris, Domino per amœna vireta
Felix latro duce, hospitium vitale meretur,
Fortificata fides vincit tot crimina vita.*

V. NOA ARCÆ, PRÆCEPTO DOMINI,
includit omnia.

*Hic volucres, armenta, viros, genus omne ferarum,
Ne quid diluvii perdat violentia, Noe
Colligit, atq; unam, tot condita, condit in arcam.*

VI. PETRO VISIO DE COELO OSTEN-
DITUR.

*Reptilium, pecudumq; genus, cunctasq; volucres
Discus habet, quæ cuncta jubet Pater edere Petrum,
Nil commune putans, quod mundum fecerat Auctor.*

VII. TURRIS CONFUSIONIS DESTRUITUR.

*Extruit immensis opibus vesania turrim,
Sed facit ora Deus summus discordia rector:
Ne quid stulta manus supra sua jura pararet.*

VIII. PETRUS ET APOSTOLIVARIIS LO-
QVUNTUR LINGVIS.

*Consona diversas fundit narratio linguas,
Barbara quæq; suam cognoscit natio vocem,
Quam sacer humano præfatur Spiritus ore.*

IX. JOSEPH A FRATRIBUS VENDITUR.

*Hic conjurati germanum vendere fratres
Cogit livor edax, profunt contraria justis,
Hoc opus est divinum, ut qui modo vendit, adoret.*

X. CHRISTUS A JUDA VENDITUR.

*Nummi dira famas compellit vendere Judam
In pœnam regale caput, commercia tanti
Sanguinis exiguo per agit mens improba lucro.*

XI. ABRAHAM FILIUM AD IMMO-
LANDUM DUCIT.

*Cædis in expensas fert hostia propria lignum.
Nam charum genitor pignus mactare paratus
Ducit Abram: fidei meritum est, nec parcere nato.*

XII. CHRISTUS DUCITUR CRUCIFIGENDUS.

*Gestit honorandum cunctis manus inclita lignum,
Quo se sancta finit suspendi victima mundi:
Tollitur, ut miseris reddat mors una salutem.*

XIII. COTURNICES ET MANNA DATUR JUDÆIS.

*Hic avidos carnis missa ortygometra refecit,
Immeritosq; replet cœlestis copia panis:
Nam dignis, quem quisq; velit, dat manna saporem.*

XIV. SEPTEM PANIBUS CHRISTUS QUATUOR
millia hominum pascit.

*Panibus hinc septem populorum millia pascit
Quattuor, & pauci saturant convivium pisces:
Nam bis sex sportas panis fragmenta replerunt.*

XV. MOSES ASCENDIT IN MONTEM,

*Veridica Moses pandit penetralia Legis,
Quæ summus cunctis unus sit rector & idem,
Nec divisa regit mundum, sed sola potestas.*

XVI. CHRISTUS IN MONTE DOCET.

*Montis valle sedens grave & immutabile Verbum,
Et pia justitiæ populis præcepta profatur,
Quæq; it, quæ pergit, sese Sapientia monstrat.*

XVII. MARTHA ET MARIA.

*Arguit immeritis consortem Martha querelis,
Quod vacet officio, cui verax arbiter, inquit:
Cura Dei, melior domus, & magis utilis illi.*

XVIII. CENTURIO AD CHRISTUM.

*Heu mihi Salvator, salvari servus anhelat:
Non ego sum dignus, cujus tu tecta capeffas,
Sed verbo sanare potes, nam sufficis absens.*

XIX. EX AQUA CHRISTUS VINUM FACIT.

*Inspidi quondam laticis elementa, saporem
Flagrantis sumpsere meri, nam providus auctor
Munera lætitiæ, virtutum exordia fecit.*

XX. MULIER À CHRISTO CURATUR.

Dat dextram miseris, miseransq; attollit amicè,

*Quam longinqua sui curavârant tormina morbi,
Surgit recta fides, credentis mundaq; mens est.*

XXI. MULIER A PROFLUVIO SANATUR.

*Hac mulier tactu vestis furata salutem est,
Siccavitq; fides venas, fluviumq; pudendum:
Pulchra fides, cui vis cogendi magna Tonantem.*

XXII. CHRISTUS RESUSCITAT VIDUÆ FIL.

*Mœrebat genitrix ignara mente cadaver,
Cui mundi q; hominumq; salus, in limine portæ
Obvia cum venit, luctus in gaudia vertit.*

XXIII. ZACHÆUM CHRISTUS VIDET IN
ARBORE.

*Dulcis honor Domini Zachæo fulsit amico,
Majestate sonans: hodie mihi proficis hospes,
Ad majora dehinc ramis descende relictis.*

XXIV. LAZARUS A MORTE REVOCATUS.

*Lazarus hîc iterum projecta morte resurgit,
Et pariunt animas mutatâ lege sepulchra:
Qui vitam sanctis scit verbo reddere, vita est.*

NOTA AD R. HELPIDII HI-
STOR. V. & N. T.

In hoc titulo cùm meri essent Genitivi: *Rustici hi-*
storiarum utriusq; Testamenti, addidi *Tristicha*: ut
quemadmodum *Ambrosii* eadem de re *Disticha* es-
sent, ita hæc *Tristicha*, quæ deinde exciperent *Amœ-*
ni Tetraſticha. Nam quod *D. Barth.* lib. 26. cap. 9.
Historiarium legit, ejus vocis elegantiam, quam ipse
vigi-

vigilans somniabat, agnoscere non potuimus.
In quorum Tristichorum primo statim menda latet:
Non enim marito, sed Diabolo (ut etiam lemma do-
cet) seducta credidit, & maritum secum in perditionem
traxit. Per *invidum* igitur, qui arte vipereâ paravit
vetitum pomum decerpere Evæ, Satanas sub
persona serpentis latitans intelligitur. Decepta au-
tem Eva -- *tanta quæ nescia fraudis,*

Tradidit infelix (scil. pomum) *socio peritura marito.*
Ita namq; omninò duabus saltem literulis immuta-
tis legendum erit, *Tradidit pro credidit.*

II. Tristichon neq; lémati suo neq; præcedenti re-
spondet Tristicho. Cùm n. Helpidio propositum es-
set parallela Veteris & Novi Testamenti comparare,
& quemadmodum ibi Eva à Diabolo seducta & per-
dita: ita Maria à Gabriele salutata & salvata oppo-
ni pariter atq; componi debuisset. Sed expressè hîc
quomodo Angelus non tam ad Mariam, annun-
ciaturus appulisset, quàm ad Josephum, quem
ne Mariam desereret monuisset, habetur. Ni-
si fortassis hoc inde elicias, utrumq; Tristichon
invicem contendens: quod sicuti Eva à Satana fal-
sò persuasa maritum in mortem & damnationem
secum præcipitasset: ita vicissim Angelus non mo-
dò Mariæ persuadens, quod ex ipsa mulieris semen
illud, caput serpentis contriturum, prodire debeat;
Sed & simul hoc Conjugi istius desponsato indi-
cens, quòd *hâc ipsa dote recepta*, cum à Deo Patre
gratia quavis digna æstimata, & à Spiritu quoq; San-
cto adamata, filium paritura sit Jesum, qui & Matrē
suam, & adoptivum quoq; simul Patrem imò omnē
popu-

populum suum salvos sit facturus Matth. & Lucae
I, qvare lego:

— — *Hic (Joseph) dote receptâ,*

Spiritus hâc quod sit flagrans, salvatur honore.

i.e. Josephus, cum solo eo, quod dotem Mariæ veluti conjux reciperet, contentus, uxore sua abstinuisset, honore insuper illo, quo Deo ipsi adamata sanctum Dei filium de Spiritu S. natum peperisset Maria, salutem æternam per fidem sibi acquisivit.

In tertio Alcuinus habet: *Pellibus accinctis peccati signa ferentes Pœnarum famuli.*] Scitè ita dicti primi parentes: in hunc mundum velut in metalla damnati, unde non possint liberari, nisi per mortem, cum *juxta Justinianum Institut.* servi pœnæ efficiantur, qui in metalla damnantur & qui bestiis obiciuntur. *Vid. Barthius l. LVI. c. 5. & l. XIX. c. 7.*

In sequentibus tribus Tristichis nihil planè videtur esse difficultatis, nisi quod in postremo *edere* pro manducare primâ contra morem produxerit. Quare ex ipso textu Actor. Apostolicorum cap. X, lego:
— *quæ cuncta jubet vox mandere Petrum.*

VII. In versu 2. videtur solummodò comma, olim interpositum, expungendum, hâc quidem sententia: sed *Deus summus rector facit ora discordia* h. e. ut aliter quàm sentirent loquerentur, & propterea omnes ac singuli discordarent, atq; ita discederent.

VIII. *Malim profatur, quàm prefatur Spiritus.*

IX. Manifestè apparet primum versum ita emendandum: *Hic conjuratos germanum vendere fratres*

Cogit livor edax: Atq; sic etiâ editur inter Alcuini numero XLII. V. 3. io lege: *ut qui modò vendidit, oret.*

XI, Non

XI. Non capio primum versiculum. Tametsi nãq;
ex *Genes. cap. XXII.* constet, quod Abraham super I-
saac filium suum immolandum imposuerit ligna
holocausti, qui tamen ipsemet ignorabat & interro-
gabat, quænam victima esset futura? ad hoc itaq;
denotandum quæ faciet, si dicatur: *hostia propria fere
lignum in expensas cadis*, nisi fortassis hîc esset sensus,
quod ipsa victima jamjam mactanda cædem quasi
eo ipso debeat demereri, dum ligna quoq; ad holo-
caustum portat: Quæ merces sanè foret iniquissima.
Quare aliud quidvis hîc latitare putaverim. Nam
cum Isaac ligna gestans Christi crucigeri fuerit
typus, quod uterq; super lignum poni & expandi de-
beret, idcirco hoc potius verbi substituerim:

Cadis ad expansum fert h. p. lignum. Si tamen alicui
istud prius adhuc placeat, vel eam ipsam ob causam,
quod indignum & miserabile esset, non repugnabo.

XII. Lege: *Gestat honorandum cunctis manus in-
clita lignum.*] Quamvis & *gestat* & *manus* ad onus i-
stud molemq; tantæ crucis exprimendam planè
haud faciant, utpote quæ vix à duobus hominibus po-
tuerit portari, succollante quoq; ipsi Christo Simo-
ne Cyrenæo. Melius legetur *Gessit*. V. 3. sic scripserim:
Tollitur, ut multis reddat, crux una salutem.

XIII. Alcuinus: *Nam dignis quemcumq; velint, dat
Manna saporem:*] Quod quidam negant, sed frustra.

XV. V. 2. L. *Quæ summus cunctis unus fit Rector &
idem.* Quod enim non sit legi debeat, ostendit etiam
alterum verbum: *regit* v. seq. Quam nostram lectionem
etiam *Barthio*, ut postea vidimus, l. 26. c. 9. comproba-
vit, quia doceatur illâ, unum solum Deum omnibus
esse colendum. *Alcuio* verò inter poemata sua nu-
mero XLIV. ita exhibuit:

Quod

*Quod summus cunctis unus fiet auctor & idem,
Nec divisa regat mundum, sed sola potestas.*

XVI. Cum hoc priori quoque respondere debeat, ubi Moses in monte acceperat Decalogum, cæterasque leges, Christus verò toties in montes ad orandum & prædicandum secesserit, unde & *Luca XX.* dicitur, quòd iverit secundum consuetudinem in montem. Non igitur hîc legi potest: *montis, valle sedens*; sed potius *montis colle sedens* vel *calle*. Apud *Alcuinum Flaccum* poemation est XLV. Ubi tertius versus ita legitur:

Quæq; intra sese pergat sapientia monstrat.

XVII. Hinc jam desinunt parallela, & solummodò Novi Fœderis historiæ pertexuntur. Tametsi quàm optimè Rachel & Lia Mariæ & Marthæ comparari potuissent. In v. 2. *Vacare officio* contra morè lumitur, quando aliqua persona non satagit rerum suarum & injuncto muneri satisfacit, sed planè ociosa ab omni labore, officiiq; sui partibus feriata abstinet. V. ult. aliter quoque distingvendus & intelligendus venit: *Cura Dei melior, domus at magis utilis illi.* Vel etiam interrogativè: *Domus an magis utilis ulli?* i. e. tametsi negari nequeat, domo rebusq; domesticis nos in hoc mundo indigere, nulli tamen usq; adeò utilis res familiaris videri debet, ut propterea præ corpore & ei necessariis sollicitudinem animæ suæ abjicere, & caduca æternis præferre opus sit. Nam si invicem contendantur saltem utilitas & honestas, atq; adeò necessitas, tùm prima reliquis duabus cedit, ac si foret ultima. Quocirca ipsemet Christus dixerat: *Unum est necessarium: Maria optimam*

partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ubi Martha sollicita turbaretur ob plurima vana, fugacia, & statim peritura.

XIX. V. 7. Prætulerim : *Inspidi quondam laticis elementa, ut Syllabæ in cæsura positæ nulla fuerit cura, quod alius præter causam corrigere studuit per appositionem inspidam. Porrò sine commate apponantur reliqua, saporem fragrantis sumpsere meri: nam quia à latiniæ muneribus potentiam suam exordini voluit Christus, cum primis vicinos sensus, quos Franci pro uno habent, saporis & odoris afficere voluit, quia potuisset etiam aqua aliqua metallica flagrans & rubra videri, quæ tamen neminem exhilaratura fuisset.*

XX. *Aquid Fabricium in Rustici Helpidii fragmentis inter Poëtas Ecclesiasticos p. 755. hic versus corruptus ita legebatur, cui sphalma abstulimus:*

Dat dextram miseris, miserans attollitq; amicè.

Ultimum versum ita distinxerim:

Surgit; recta fides credentis mundaq; mens est.

Ut nimirum subintelligatur, surgit illa, quam longinqua sui curvârant tormina morbi, quandoquidem fides ipsius credentis in Christum esset recta, & mens munda in fordido atq; morbido quoq; corpore, ut alibi apud Ambrosium:

Feminaq; immundum miratur stare cruorem.

Loquitur autem de focu Simonis, quæ juxta principium Evangelii à S. Marco scripti decumbebat febricitans in domo Simonis & Andreæ, accedens autem Christus elevavit eam apprehensa manu ejus, & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis. Evolvatur quoq; caput VIII. Matthæi & IV. Lucæ.